



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Mittitur Oenipontum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

Datur ei Vica-
rius Hoffæus.

di imperio est cōsequutus, vt ipse Prouinciæ pro-
curatione, & imperandi, quicumq; esset, honore
liberaretur. Suffectus est Paulus Hoffæus, sed ini-
tio in semestrem duntaxat, Vicarii que solum no-
mine; sic tamen vt administratio omnis penes il-
lum, & in totum vacatio esset Canisio: qui eo de
beneficio Præposito Borgiæ gratias agēs, supplex
veniam adprecatur, quicquid non solum proxi-
mo, sed cunctis etiam superioribus administra-
tionis suæ annis commiserit, omiserit tūc, vel quo-
modocunque perpetrarit: quicquid contra ipsū
Præpositum, quicquid contra fratres suos inor-
dinata, (sic enim appellat) præposteraque officij
sui functione peccarit: habiturus beneficij loco
quamcunque Pater inobedienti, ac negligenti si-
bi imponere pœnam, vel denuntiare voluerit.

Mittitur Oeni-
pontum.

Sed antequam abderet se in literas, adicien-
da fuit procurationi publicę appendix haudqua-
quam leuis. Semel atque iterum iussus est Oeni-
pontum excurrere, vt Imperatoris Ferdinandi fi-
lias Virgines eò adduceret, vt quando de societa-
te Confessarium volebant, hominis ad id munus
delectum Præposito ipsi Societatis relinquerent.
Quam rem tanti ducebat momenti Præpositus
Borgia,

Borgia, ut ab alio tractari, quàm Canisio nollet; ipsumque ad deuorandum quicquid inesset acerbitalis valdè cohortaretur. Non erant cohortationes necessariae viro obseruantissimo nutuum Præsidium, veroque per se pondere aestimanti rei grauitatem. Accurrit oriente iam hyeme, tempestate horrida, magnisque ac perpetuis imbribus foeda, ut, cui obedientia dux non esset, nec facile esset ausurus, nec abfuturus ab temeritate, si auderet. Inter Montium enim conualles habebatur iter, in quas vndique ab alpinis cacuminibus torrentes præcipitabant. Ibant duo duntaxat Canisius ipse, & Franciscus Rocca: recens creatus Sacerdos, quo adiutore ad scribendum utebatur. Sed nusquam Ductor aberat bonus Angelus, ut manifesto quoque compertum est documento. Iam prope Monasterium venerant Benedictinorum, in Monte situm, cui nomen Etal: sed antequam subire clium inciperent, planities interiacebat, quam Ambro amnis interlabens, auctu pluuiarum effusus in morem stagni totam late obruerat. Nulla viarum restabant vestigia, solum apparebant procul tigilla duo: cum versus ad Roccam constanti fronte Canisius, videsne, inquit,

*Liberatur di-
ninitus ingenti
periculo.*